

Deipara et Ecclesia
apud scriptores Praemonstratenses saeculi duodecimi.

Theologia Mariologica ultimis hisce annis magna cum cura cepit ea, quae decurrentibus saeculis de Beata Virgine in Ecclesia catholica praedicata fuerunt, investigare, ut hac ratione melius et profundius doctrina sana et vere catholica de Sancta Virgine proponi possit.

Inter themata quae maiorem considerationem obtinuerunt in inquisitionibus illis, iure annumerari potest istud: Maria et Ecclesia. Tum Deipara, tum Ecclesia inter opera a Deo patrata, summopere eminent, quamvis ratione nonnihil diversa. Habitudo intercedens inter Deiparam et Ecclesiam melius nota, vere illustrare nata est dignitatem genuinam tum Divae Virginis, tum Ecclesiae.

Thema indicatum: Maria et Ecclesia, in tribus sessionibus subsequentibus (1951-1953) a « Société Française d'Etudes Mariales », sub variis respectibus, enucleatum fuit. Et ea quae anno 1951 in Sessionibus illis prolata fuerunt, nunc edita prostant in « Bulletin » Societatis dictae, editum Parisiis, apud Lethielleux, 1951. In hoc volumine R. P. BARRÉ, C. S. Spir., pagg. 59-124, inquit in traditionem doctrinalem, quae e scriptis Medii Aevi incipientis sub hoc respectu erui potest. *Marie et l'Eglise. Du Vénérable Bède à Saint Albert le Grand*. Constat vero doctrinam marianam non parum progredi illa aetate, magis determinando et specificando quae in traditione antiquiori jam realiter transmittebantur.

Notum est profecto saeculo duodecimo plures extitisse scriptores Praemonstratenses, quorum scripta nonnulla vere praeclara ad nos usque pervenerunt. In scriptis illis expositionem completam habitudinis Mariae ad Ecclesiam sane non habemus. Elementa tamen non pauca apud eos adsunt, e quibus iure deducimus scriptores Ordinis nostri illo saeculo doctrinam sanam Mariologicam novisse eamque occasione data, valide praedicasse ac descripsisse.

Expositionem Patris Barré, supra indicatam presse sequendo, nonnulla doctrinalia de Beata Virgine, a scriptoribus Ordinis nostri saecula duodecimo proposita, paucis indicamus.

Saeculo illo duodecimo, multo magis quam saeculis immediate antecedentibus, sensus litteralis textuum S. Scripturae investigatur. Minus proinde quam antea textus scripturistici de Ecclesia agentes simpliciter ad Beatam Virginem transferuntur, quasi in iis etiam de Deipara ageretur. ZACHARIAS CHRYSOPOLITANUS principium gene-

rale « Maria-Ecclesia » effert, occasione expositionis pericopae Evangelii S. Lucae agentis de Annuntiatione. Scribit Zacharias noster: « Mystice Maria desponsata, sed virgo, typus Ecclesiae est, quae est immaculata, sed nupta. Concipit nos virgo, sed spiritu; paruit (sic) nos Virgo sine gemitu » (Patr. Lat., 186, 54).

Beatam Virginem locum praeclarissimum in Ecclesia occupare, Ipsam esse « portionem praecipuam Ecclesiae » uti veritatem in Ecclesia admissam hic jure supponimus. Quod a S. Augustino perbelle exponitur: « Maria portio est Ecclesiae, sanctum membrum, excellens membrum, supereminens membrum, sed tamen totius corporis membrum ». Ipsa enim est Mater Dei. Et quidem ita ut intensissima reciproca dilectio habeatur inter Matrem hanc et Filium hunc. Ideo jure exclamare potest ADAMUS SCOTUS, *In Nativitate B. M.*, II, Parisiis, Mazarine, ms. 1003, fol. 1421: « Monstra in effectum, quod mater sis Dei ». Et non minus profunde scribit PHILIPPUS DE HARVENGT, explicando Cant. 1, 1: « Qui Deus et filius erat non nisi Dei Patris, novo et miro genere sponsus et filius fit matris. Sponsus fiat, virginem sibi jungens quodam faedere conjugali; in ea, vel per eam generans spirituales filios efficacia spiritali, ut tam ille, quam illa gaudeat fructu et sobole spiritali. Filius fiat, carnem in illius utero sumens veram, integram tamen servans prorsus virginem et sinceram: et in ea consecrans Sanctos quosque Deus, Dei filios et haeredes, et ex ea natus homo, suos faciens cohaeredes ».

Sicuti Deipara virgo remansit, ita et Ecclesia a Christo juncta manet. Uti exponit PHILIPPUS DE HARVENGT, in suo *De Institutione Clericorum*, LIX: « Carnem quippe humanam Christus cum in utero sumeret virginali sponsam sibi copulavit Ecclesiam in thalamo nuptiali, et nec matri abstulit integritatem cum de ea nasceretur; nec sponsae minuit castitatem cum ei jungeretur. Ex quo satis innuitur, quia eos quos ad regendum et instruendum eandem Ecclesiam vice sua voluit sublimari, et ad generandum spirituales filios ordinari, sibi quoque vivendo voluit conformari: ut ex quo ad tam sanctum officium aspirarent, carnales a se complexus omnino relegarentur, et solius Ecclesiae faecundandis profectibus incubarent ».

Maria a Deo constituta est inter Deum et Ecclesiam. Seu recte Mediatrix dicitur. Mediatio ista saeculo decimo tertio potissimum interventum actualem Deiparae in animas considerat. Quod pluries

a PHILIPPO DE HARVENGT in Commentario suo in *Canticum* effertur. Audiamus ipsum Philippum scribentem: « Denique ipsa est quae invenitur Christo sic subesse, ut non sit dubium reliquo eam corpori superesse; et ipsa inter caput et corpus videtur locum medium obtinere, nec ad Sponsum filii Sponsi possunt nisi Matre media pertinere. Praesente ipsa nobis Sponsa, bonum est adhaerere; absente vero, non possunt membra capiti cohaerere; nobis longe infra positus, per ipsam Dei Filius condescendit, ad quem nisi per ipsam nostra infirmitas non ascendit. Ipsa prior, ipse felicius accipit grande munus, per quod multi et diversi facti sunt velut unus; per quod duo parietes una fide, uno baptismo sunt uniti, et ad Christum concurrentes, ei personaliter cointi. Ipsa denique Sponso et Filio, interventu medio, nos commendat; Sponsi mater et ancilla, nostra omnium imperatrix, disjunctos jungit, junctos retinet, potens et efficax Mediatrix... Collum bonum, bona interventio, bona denique mediatrix, quae jungit quod disjunxerat Eva noxia separatrix » (In Cant. II, 6).

Notemus tandem ADAMUM SCOTUM in sermone I in Nativitate B. Maria (Paris, Mazarine, 1003, fol. 131 r^o et v^o) (ita Barré, l. c., pag. 142) jam proponere interpretationem mariologicam textus notissimi Gen. 3, 14 s.: « Inimicitias ponam inter te et mulierem... ».

J. B. VALVEKENS, O. Praem.

The Conte del Graal and the Praemonstratensian Order ?

In conjunction with the annual meeting of the Modern Language Association of America, held December 27-29 at the Hotel Statler in New York City, N. Y., a special session was arranged by Professor Urban T. Holmes Jr. of the University of North Carolina for the presentation of a paper on Chrétien de Troyes *Conte del Graal* by John F. Mahony, Instructor of Latin at Duke University, Part-Time Instructor of English at the University of North Carolina, and doctoral candidate at the University of North Carolina. The following scholars were in attendance: Helen Adolph, Grace Franck, Albert Minut, Lawton P. G. Peckham, Edwin D. Cuffe, S. J., Sister M. Amelia, O. P., Wm. S. Woods, Alexander Schutz, Canon Astrik Gabriel, Helmut Hatzfeld, and Julian Harris. The paper presented represented the results of partial investigations on a project of examining historical references of Chretien's poem. An abstract of the paper follows.